



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Sect. Vlt. Argumenta adversaria solvuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

reale esse in Deo, quod ab actuali existentia creaturæ pendeat, siue ut à termino, siue ut à conditione necessaria, siue quacunque alia ratione, quia quidquid in Deo est necessario est Deus, & ideo nullo modo potest esse dependens, sicut nullo modo potest non esse. Quod autem aliquomodo penderet à creatura, potest non esse, sicut illa: ergo minus id dicendum est de actibus liberis voluntatis diuinæ.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta aduersaria soluntur.

384 **A**D argumentum secundæ sententiæ concedo maiorem, & nego minorem. Ad probationem minoris distinguo maiorem, quod est capax habendi aliam perfectionem distinctam formaliter à parte rei, & per additionem formalem realem illius concedo, aliam perfectionem virtualiter solum distinctam & solum virtualiter additam nego, & hoc modo est Deus capax alterius perfectionis distinctæ ab illa, quam nunc habet, de quo latissime agendum nobis est *questione sequenti*, quod non solum non dicit imperfectionem in Deo potentialitatis, sed potius summam, & infinitam actualitatem, & summam, ac infinitam eminentiam diuini esse, ut patet ex dicendis.

Ad argumenta tertiæ sententiæ, & ad primum distinguo maiorem, supponit nouam aliquam additionem, &c. formalem solum nego, formalem, vel virtualem, aut æquiualentiam concedo. Item concedo minorem, concedo consequentiam, & distinguo aliam minorem, non est facta in Deo formaliter à parte rei concedo, æquiuolenter, aut virtualiter, nego; de quo infra latius.

Ad confirmationem nego maiorem, si vniuersaliter loquatur de omnibus actibus liberis, tam efficacibus, quam inefficacibus, quia ut supra late demonstrauimus, actus inefficaces etiam si sunt liberi, nihil reale tribuunt creaturis, imo si loquamur de efficacibus, nullum esse intrinsecum physicum immediate conferunt creaturis, sed solum mediante omnipotentia; sed licet concedamus omnes actus efficaces tribuere immediate aliquid esse intrinsecum physicum, (quod supra negauimus, & oppositum eius efficaciter probauimus, eo quod multi actus efficaces sunt in Deo, qui solum mutationem moralem faciunt in creaturis) nihilominus tamen illud esse intrinsecum nullo modo constituit actum liberum formaliter, quia est effectus illius, & effectus non constituit suam causam, ut supra latissime demonstraui, ac proinde tale esse intrinsecum non potest facere aduersariæ sententiæ, quæ intendit tale esse creatum constituere actum liberum.

Ad secundum argumentum respondeo, verum esse quod Verbum diuinum non mutetur per vnionem hypostaticam: sed hoc non est propter rationem, quam ibi perperam, ac falso assignat Pater Alarcon dicendo, [vnionem hypostaticam intrinsece duntaxat se habere respectu humanitatis, & non respectu Verbi diuini;] nam Verbum diuinum intrinsece vnitur per illam vnionem humanitati Christi: ergo vnio hypostatica intrinseca est respectu Verbi diuini: consequentia est clara, quia impossibile est, quod aliquid intrinsece constituitur per aliquam rationem formalem, vel

quasi formalem, & quod talis ratio formalis non sit intrinseca respectu illius, quod intrinsece constituitur per talem rationem formalem; ideo enim Pater æternus habet actum liberum intrinsecum, quia actus liber intrinsece constituit ipsum amantem simul cum reliquis personis diuinis, quæ simul cum Patre per talem actum, constituentur in esse amantium intrinsece creaturas. Item recte colligimus, relationem Filij esse intrinsecam Verbo diuino quia intrinsece constituit ipsum in esse Filij respectu Patris æterni, imo è contra euidenter sequitur effectum, vel quasi effectum formalem non posse esse intrinsecum, sed extrinsecum, quando ratio formalis extrinseca est respectu subiecti; ideo enim paries visus est denominatio extrinseca, Item columna dextera, Deus creans, amans, & intellectus à creatura; quia rationes illæ formales non intrinsece, sed extrinsece se habent respectu subiectorum quæ constituunt, & denominant.

Atqui vnio hypostatica constituit Verbum diuinum non extrinsece vnium humanitati: ergo vnio hypostatica non est extrinseca respectu Verbi diuini, sed potius intrinseca respectu illius.

Antecedens illud sic demonstratur, primo quia Verbum diuinum subrogatur loco suppositiuitatis humanæ: sed suppositiuitas humana non est solum extrinsece vnita humanitati, sed potius maxime intrinsece, ut constituat vnium ens per se intrinsecum, quale est suppositum intellectuale, & persona, quæ quia est per se principium operationum vitalium intrinsecarum; ideo debet esse vnium per se intrinsecum: ergo Verbum diuinum, quod constituit vnium suppositum intellectuale, & vniam personam perfectissimam Christi, quæ est maxime vnium ens per se intrinsecum, intrinsece debet vniri humanitati, & constitui intrinsece vnium ipsi ut constituat vnium principium per se vitalium operationum, & suppositum intrinsece loco personalitatis humanæ ipsam humanitatem Christi nominari.

Vegetur amplius, & sit secundum argumentum quia si Verbum diuinum non esset vnium intrinsece humanitati, inter Verbum diuinum, & humanitatem non intercederet vera intrinseca vnio: ergo Christus esset ens per accidens, ac proinde non esset absolute, ac simpliciter vnus, quia ens per accidens potius est plura simpliciter, quam vnium, ut videre est in acervo lapidum, in populo, & exercitu; sed Christus simpliciter & absolute est vnus; ut dicitur in symbolo Athanasij ibi, [qui licet Deus sit, & homo, non duo tamen, sed vnus est Christus, vnus autem non conuersione diuinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum, vnus omnino, non confusione substantiæ, sed unitate personæ; nam sicut anima rationalis, & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus:] ergo Christus non est ens per accidens, sed ens per se; quod patet ex verbis nuper citatis symboli, ubi non solum dicitur vnus simpliciter, & absolute, sed etiam dicitur esse vnium, sicut homo est vnus: sed homo est vnium ens per se intrinsecum; ergo Christus, qui comparatur tali vno, est vnium ens per se intrinsecum, & non vnium ens per accidens.

Illam primam consequentiam patet manifeste; quia ideo populus, exercitus, acervus lapidum, & paries visus non sunt per se vnium, sed entia per accidens, quia constitutiva illorum non vniantur intrinsece, sed extrinsece, & ideo ex creatura, & intellectu ne diuina, per quam cognoscitur talis creatura non resultat vnium ens per se simpliciter, sed potius vnium ens

Quaest. II. In quo consistat actus liber Dei. 393

ens per accidens; quia intellectio diuina, quae terminatur ad creaturam, siue actualis siue possibilis, non vnitur intrinsece per se cum creatura; nam si per impossibile intrinsece vniretur cum illa, resulteret vnum ens per se: ergo si inter constitutiva Christi Domini non datur vnio intrinsece per se, nullo modo erit Christus vnum ens per se, sed potius vnum per accidens; quod est summum absurdum: ergo falso asserit Alarcon docendo, vnionem hypostaticam non esse intrinsecam respectu Verbi diuini; sed solum extrinsecam respectu illius.

Ratio autem quare non mutatur Verbum diuinum est quia ipsum Verbum diuinum non est ens potentiale sed purissimum, & actualissimum actus, ac proinde respectu vnionis hypostaticae neque est subiectum inhaesionis neque adhaesionis, sed potius terminus intrinsecus, quia pure, & intrinsece terminatur sine eo quod, aut recipiat vnionem: vt humanitas Christi quae est subiectum educationis illius; quia ex illa educitur ac per consequens recipitur in ipsa, neque etiam est subiectum adhaesionis vnionis eo modo, quo anima rationalis est subiectum adhaesionis vnionis materiae primae ad ipsam. Itaque omnis creatura respectu perfectionis sibi intrinsecae est subiectum vel inhaesionis, vel adhaesionis, quia omnis creatura dicitur potentialitatem respectu talis perfectionis, & perfectibilitatem respectu eiusdem, quae potentialitas passiva, vel quasi passiva est; quia omnis creatura ex indigentia propria, & ratione commoditatis, & emolumenti proprii inclinatur in talem perfectionem sibi intrinsecam; vnde respectu cuiuscunque creaturae quaecunque perfectio dicitur mutatio, quia omnis perfectio respectu illius; quia perfectio est actus, est actus entis in potentia secundum quod in potentia est: ergo est mutatio respectu illius; quia illa est definitio mutationis ex Aristotele 4. lib. 1. phys. tex. 22.

Contra vero Verbum diuinum, quia est purus, & infinitus actus, nullam habet potentialitatem, sed potius exercet puram actualitatem terminandi, & sic est purus terminus intrinsecus: ergo vnio, & actio vniuius respectu Verbi diuini nullo modo est actus entis potentialis, seu entis in potentia, quatenus in potentia est, sed potius entis puri actualis sine vlla potentialitate exercentis respectu vnionis hypostaticae munus puri, & actualissimi termini; ergo vnioni, & vnioni non competit respectu Verbi diuini definitio mutationis, aut motus; vnde non erit talis, quia cui non conuenit definitio, non est definitum illius: ergo neque Verbum diuinum mutatur per illam, quia nihil mutatur, nisi à mutatione.

Ex quo colligo, ad hoc vt aliquid mutetur, non solum debere nunc aliter se habere quam antea; si aliter se habeat tanquam purus, & actualis terminus, sed necesse est vt aliter se habeat, tanquam ens potentiale, vel recipiens in se, vel tanquam subiectum adhaesionis, eo modo quo contingit in creaturis, quod non contingit in Verbo diuino, & ideo non fuit mutatum, etiam si aliter se habuerit actualiter terminando intrinsece, quibus funditus corrumpitur secundum argumentum aduersariorum.

Ad tertium argumentum sumptum ex scientia Dei respondeo, scientiam simplicis intelligentiae transire ad scientiam visionis creaturarum futurarum, non solum propter mutationem extrinsecam earum (quia hoc non sufficit ad constituendam

I. P. Tom. II.

intrinsecam scientiam visionis, quia vt iam dixi, constitutum intrinsecum debet constitui per praedicata intrinseca, & non solum per mutationes extrinsecas, alias non erit constitutio intrinseca sed extrinseca) sed etiam propter mutationem, & additionem virtutalem, seu aequivalentiam, quae datur intra ipsum Deum sine vlla additione, & mutatione formali in ipso; de quo latissime agemus *quaestione sequenti*; unde tertium hoc exemplum aduersariorum nihil eis faret.

Ad quartum exemplum de relatione creata respondeo, falsissimum esse illud vt supra dixi, & late probavi in *Logica praedicamento de relatione, quaestione Virum relatio distinguitur à suo fundamento*, & difficilius est intellectu ipsum exemplum, quam mysterium actus liberi; nam hoc mysterium fundatur in infinita eminentia, & actualitate diuini esse cum aequivalentia ad contingentiam creatam, & nihilominus intelligibile vocatur ab aduersariis, quod Deus possit transire determinato contradictorio intrinseco ad terminum contradictorium intrinsecum sine mutatione intrinseca Dei; ergo multo minus intelligibile erit, creaturam habere talem transitum, ubi nulla est infinitudo pura actualitas, & perfectissima eminentia, quare nullo modo est rationi consonum velle exemplo creato mysteria diuina fundata solum in infinita perfectione explicare; vnde sicut irridetur qui promitteret facile se explicare identitatem trium diuinarum personarum, vere ex se realiter in vna essentia indissolubili, & omnino simplici cum distinctione reali inter se ipsas, dicendo animam rationalem identificari cum intellectu, voluntate, & memoria inter se realiter distinctas, cuius irrisionis causa nulla alia esset, nisi collocare in creatura finita, imperfecta, & limitata difficillimum mysterium, quod mens vix capit revelatione diuina, & lumine supernaturali illuminata, ex vi illius luminis cognoscens hoc ideo contingere in diuinis, quia diuinitas habet infinitam perfectionem, infinitam actualitatem, & summam puritatem cum infinita foecunditate; atqui simile mysterium actuum videlicet liberorum Dei quod fundatur in infinita eminentia, & perfectione diuina cum summa actualitate, & puritate eius, explicare contendunt aduersarii per exempla creata, finita, limitata, & imperfecta: ergo frivola est talis explicatio.

Nec minus falsitatis vitio laborat exemplum de speciebus intentionalibus Angelorum; nam vna, & eadem species per solam existentiam extrinsecam obiecti sine additione intrinseca ex parte ipsius non potest transire de representatione in non representationem, & è contra: quare ego iudico, Angelis in primo suae creationis instanti non fuisse concessas omnes species rerum nondum existentium, & futurarum, sed solum rerum existentium actu, & paulatim ad existentiam rerum de nouo, de nouo infundi earum rerum species Angelis. Itaque statim ac producit de nouo res aliqua, infunditur Angelo species illius, vt cognoscatur, & percipiatur ab Angelo, cuius rei speciem antea non habebat Angelus, quomodo explicandi occurritur omnibus difficultatibus, quae invincibiles indicantur à Doctoribus, de quo latius materia de Angelis.

Ad vltimum argumentum responderetur, negando Maiorem, quia Deus in esse liberi non constituitur per contingentiam formalem, sed potius per contingentiam aequivalentem; per in differentiam autem formalem bene constituitur;

DDd quatum

quarum formalitatum explicationem, differentiam & distinctionem in sequentem questionem refero; quia de illis data opera nobis est agendum. Ad probationem maioris distinguo Maiorem, si sumatur denominatio pro nomine, concedo illam; nomen autem actus amoris definit, non quia ipse amor definit formaliter, sed solum quia definit æquivalenter aut virtualiter. Si autem sumatur pro obiecto talis denominationis, seu pro ipso actu libero quoad entitatem, negamus definire formaliter sed solum æquivalenter. Ad probationem illius concedo antecedens, & distinguo consequens; potest abesse, & adesse formaliter, nego, æquivalenter, aut virtualiter, concedo: nam amare, vel non amare datur formaliter in Deo, quia id solum denotat indifferentiam formalem in amante, non autem contingentiam formalem, abesse autem, & adesse amorem denotat contingentiam; quia contingens est, quod potest esse, & non esse; cum vero non concedamus formalem contingentiam in Deo, licet concedamus indifferentiam, concedimus; Deum amare, vel non amare formaliter; non autem esse, & non esse amorem formaliter, de quo claritate maxima qua posuerimus, agemus *quest. sequenti*.

SVBSECTIO I.

Argumenta aliarum opinionum dissolvuntur.

Ad secundum argumentum respondetur negando Maiorem; nam Misericordiam, divinam voluntatem, & intellectum concipimus cum respectu rationis ad obiecta, & nihilominus nullus etiam excutiens poterit dicere perfectiones has divinas constitui per entia fictitia, quales sunt relationes rationis, alias tales perfectiones, non quid reale, sed ens fictitium esset, ut patet ex supradictis in refutatione huius sententiae: ergo similiter licet in actu libero Dei concipiamus relationes rationis, non ideo debemus dicere, constitui actum liberum per entia fictitia, & rationis; sicut non possumus concipere Deum, nisi ad modum corporis, & nihilominus nullus sanæ mentis poterit dicere Deum, qui est æquate spiritualis, constitui per talem corporeitatem: ergo similiter in nostro casu, quia à modo concipiendi nostro non debemus arguere constitutionem rei in se.

Ad ultimum argumentum distinguo secundam partem antecedentis; relationis secundum esse transcendentaliter, aut prædicamentaliter ad prædestinatum, nego; relationalis, aut relatus secundum dici, concedo eo modo, quo omnipotentia dicitur relativa ad creaturas possibiles; negamus enim relationem prædicamentalem in Deo propter rationes, quibus in logica, prædicamento de relatione probavimus, omnem relationem prædicamentalem esse accidens realiter distinctum à substantia, cuius incapax est Deus. ut *sectione precedenti* demonstravimus. Item negamus relationem transcendentalem in Deo propter rationes, quas posuimus *disp. i. de proximalibus metaphys. q. vii. ens rationis sit obiectum primum illius*; itaque Deus propter summam perfectionem quam habet, potest connotare obiectum per aliquem actum proprium sine vlla relatione, æquivalendo in hoc creaturæ, quæ per relationem veram connotat proprium connotatum, seu obiectum; Deus enim per summam perfectionem exercet munus,

quod creatura non potest sine summa imperfectione exercere.

Ad argumenta quartæ sententiæ, & ad id, quod dicitur de contingentia in prædicato intrinseco sine contingentia in entitate ipsius prædicati respondeo falsissimum esse, & intelligibile ut patet ex supradictis in refutatione huius sententiæ. Ad exempla de cõservatione, & cõtatione respondeo, omnem primam productionem distingui à cõservatione, ut late docui in *Physicis tract. de duratione*.

Ad exemplum de veritate optime respondet P. Herize his verbis. Tertium eodem vitio laborat, probabile est veritatem propositionis mentalis esse intrinsecam indistinctam à substantia actus; probabile quoque est, eandem propositionem mentalem mutari posse de vera in falsam, si hanc opinionem seiungas à primatui non est probabile simul utrique coniungere, & veritatem esse indistinctam à substantia actus & mutari posse veritatem in falsitatem immutata tota entitate & substantia actus nam hoc ipso, quod denudatur propositio veritate, denudatur propria entitate, aut in aliam mutatur; quo circa aut opinandum est, veritatem esse distinctam à substantia actus, siue sit modus ab eo distinctus, siue extrinseca denominatio desumpta ab obiecto ita se habente, ut enuncia propositio aut eandem propositionem mentalem mutari non posse de vera in falsam. nec novum est in Theologia, & Philosophia, duas opiniones extremas probabiles esse improbabile vero prorsus tertiam ex utraque compactam; exempli gratia probabilis sententia est, existentiam rei permanentis non distingui à duratione; probabilis quoque est opinio altissima; durationem intrinsecam distingui & esse modum successivum; at si quis tertiam conflaret sententiam, & diceret, durationem rerum permanentium non distingui ab existentia, & simul eam durationem esse successivam, improbabilem fingeret sententiam; quia concederet, eandem rem esse successivam, & permanentem, & daret essentia rei permanenti existentiam successivam; sic in alijs sexcentis exemplis, quæ adducere possem.

Ultimum exemplum de omnipotentia si sumatur eo modo, quo à Patre Suarez defenditur, non solum non faveat adversarijs, sed etiam funditus labefactat eorum defensionem, ut patet ex supradictis; nam in sententia P. Suarez, quam isti defendere conantur, ablatis creaturis possibilibus, aufertur omnipotentia; quia est prædicatum intrinsecum connexum cum illis; ergo si actus liber Dei connectitur, aut dependet à connotato, ablato connotato, aufertur actus liber, non solum quoad denominationem, sed etiam quoad ipsam intrinsecam entitatem; ecce quomodo proprio gladio decollatur Goliath.

Sed quia exemplum omnipotentia in medium proferunt, eo modo, quo P. Vazquez defendit, non possum non mirari quomodo ad defendendam opinionem eximij Doctoris utantur ex ipso, & modo defendendæ ipsam, qui ex diametro opponitur sententiæ P. Suarez, quia nullo modo potest defendi aut hor argumentis immediate oppositis eius opinionem; nam huiusmodi defensione in innumeros nota inconstantiæ in doctrina appingitur tanto doctiori; siquidem sententia ipsius circa actum liberum non potest defendi, consequenter cum modo defendendi omnipotentia connexionem cum creaturis possibilibus; atque adeo deferenda est via defendendæ talem connexionem, & confugiendum ad Patrem Vazquez, qui illam labefactat; si velimus defendere arcanum mysterium circa actum liberum. Itaque per vos ambæ opiniones de connexionem creatura

Quaest. II. In quo consistat actus liber Dei. 395

creaturarum cum omnipotentia, & contra, & determinatione intrinseca actus liberi Dei, & variatione illius, constituendo illum in intrinseco praedicato per solam variationem connotati extrinseci, non coherent inter se, & ideo ut defendatis vnam, desertis & oppugnatist aliam: ergo non defenditis Patrem Suarez, sed potius oppugnatist acriter ipsum.

Tandem exemplum potentiae obedientialis ex dictis suo pondere ruit, neque alicuius momenti est contra nostram opinionem. Tandem in fine huius solutionis aduerto, nullo modo mereri neotericos supracitaros nomen defensorum Patris Suarez, siquidem ut ipsum defendant, obliuiscuntur principiorum doctrinam eximij Doctoris, asserunt, actum liberum Dei dependere à connotato extrinseco, cum tantus hic Doctor absolute neget omnem, & quaecunque dependentiam in Deo respectu creaturarum, ut patet ex his verbis ipsius Doctoris *disputatione 30. Metaphys. sectione 9. n. 25.* Denique addere possumus exemplum ex recepta sententia inter Theologos, illi enim absurdum existimant admittere in Deo relationes reales ad creaturas, ut actu existentes, & ab illis ut sic dependentes; quia impossibile existimant, aliquid reale esse in Deo quod ab actuali existentia creaturae pendeat, siue ut à termino, siue ut à conditione necessaria, siue quacunque alia ratione, quia quidquid est in Deo necessario est Deus, & ideo nullo modo potest dependere, quia nullo modo potest non esse; quod autem aliquomodo pendet à creatura potest non esse, sicut illa si qui vero sunt Theologi, ut nominales, qui has relationes tribuunt Deo, ideo id faciunt, quia existimant, relationem nihil rei addere intrinsece subiecto, sed solum positionem, seu concomitantiam termini, omnes tamen pro comperto habent, nullam veram rem, etiam respectuam, quae in Deo sit, posse aliquomodo pendere ab existentia creaturae: multo ergo magis id dicendum est de re, & perfectione absoluta, qualis est actus voluntatis.] Ecce quomodo Pater Suarez omnino rejicit dependentiam à Deo quaecunque etiam minime sit, ut patet ex illis verbis.] siue ut à termino, siue ut à conditione necessaria, siue quacunque alia ratione.] Item ex illis,] nullam veram rem, quae in Deo sit, posse aliquomodo pendere à creatura;] & praecipue docet, nullam dependentiam posse concedi actibus liberis Dei respectu creaturarum, ut patefaciunt verba illa:] multo ergo magis id dicendum est de re, & perfectione absoluta, qualis est actus voluntatis.] Quibus omnibus manifeste liquet, quam certum sit, nullo modo recentiores supradictos munus patroni doctrinae P. Suarez, inducere posse, aut exercere, siquidem ut illam defendant omnia illius principia penitus destruant.

SUBSECTIO II.

Argumenta Caietani solvuntur.

AD primum argumentum distinguo antecedens; non conuenit Deo necessario formaliter nego, aequualiter, aut virtualiter, concedo; si necessarium sumatur prout opponitur contingentia, hoc est, quod potest esse, & non esse; nam cum Deo non conueniat formaliter contingentia, sed solum aequualiter, inde est quod formaliter debet conuenire necessitas tali contingentiae opposita.

Si autem necessarium sumatur prout opponitur

I. P. Tom. II.

indifferenti, & libero, concedo antecedens, & consequens, & distinguo consequens secundum; non potest provenire ab entitate simpliciter necessaria, prout opposita contingentia formali, nego, prout opposita libero, concedo ultimam consequentiam nego, quia bene potest provenire in Deo denominatio amantis libere ab entitate non contingentia formaliter, sed aequualiter, indifferenti tamen formaliter, de quo quaestione sequenti latissime.

Ad confirmationem distinguo maiorem; quia impossibile videtur, ut eadem forma secundum eandem omnino rationem realem det aliquam intrinsecam denominationem, &c. si eadem sit, & eodem modo maneat, tam formaliter quam virtualiter, concedo, si eadem sit formaliter, distincta tamen aequualiter, nego, cum autem vna, & eadem entitas dei sit plures formalitates virtualiter distinctae, quae virtualiter, & aequualiter possint abesse, & adesse, possint addi, & minui per aequualentiam: eo modo quo à nobis explicandum est *quaest. seq.* inde euenit ut à talibus formalitatibus virtualiter distinctis, ac pluribus, additis, & desinentibus per aequualentiam possit Deus plures denominationes subire amandi, odio habendi, &c.

Ad secundum argumentum concedo antecedens, distinguo consequens, ut aliquid deo addi intelligatur formaliter à parte rei nego; virtualiter, & per aequualentiam, à parte rei, concedo, & hoc sufficit ut deus possit amare, & non amare. Tandem ultimum consequens distinguo; ex seipsa separabili formaliter à parte rei, nego; ex seipsa separabili virtualiter, & per aequualentiam, concedo.

Ad confirmationem distinguo antecedens; realiter mutare deum per mutationem formalem, nego; per mutationem aequualitatem, concedo. Itaque nulla mutatio formalis physica, fieret in deo. Dices; ergo ex hoc capite bene poterat deus incipere velle aliquid ex tempore sine vilo incommodo: Item poterit deus scire aliquid de nouo, quod ab aeterno neque voluit, neque sciuit; quia sola mutatio physica formalis poterat obesse, quae iam ex hac solutione non sequitur.

Respondeo ex hoc capite verum esse quod non detur inconueniens, ut deus velit aliquid de nouo; si non daretur aliud inconueniens nimirum mutationis moralis in Deo inuoluentis quādam animi inconstantiam, & imprudentem modum se gerendi in suis decretis, quae imperfectiones non minus repugnant deo, quam physica mutatio, imo cum deus dicitur absolute immutabilis, non minus intelligitur de morali, quam de physica immutabilitate, & in homine imperfectio existimatur quod in suo proposito mutabilis sit, non solum propter variationem entitatis actus, sed multo magis propter animi inconstantiam; unde si per impossibile per eandem actus entitatem posset homo variare propositum, & nunc velle postea nolle, magna esset imperfectio; ex hac vero imperfectioe immediate inferri potest, voluntatem sic mutabilem esse finitam, & non rectam per essentiam; hic discursus totus saltem mediate arguit mutationem physicam, quia qui moraliter mutabilis est, sine dubio tamen indicat mutabilem physicam, quod euidentius est; nam quod sint quaedam imperfectiones morales, ex quibus per locum intrinsecum immediate, ut aiunt, non sequitur imperfectio, vel mutatio physica, est certum; nam amare peccatum vel velle mentiri non inferit immediate in Deo aliquam mutationem physicam, nec compositionem, aut aliquid simile, posset enim intelligi deus ex aeternitate id volens per simplicem determinationem liberam, inferretur

DDd 2 tamen

tamen ex illa imperfectione talem voluntatem non esse per se rectam, & consequenter esse finitam, & inde quasi per locum extrinsecum concluditur, talem voluntatem esse mutabile physice. Sic ergo in presenti procedendum existimo, nam quod illa animi inconstancia imperfectio sit, & modus operandi, vel ex inconsideratione, vel ex imprudentia procedens, ex terminis ipsis per se notum est; nam si in hominibus hæc merito censetur imperfectio, quanto magis in Deo. Item quia non implere promissum, magna imperfectio est, non quidem formaliter, ac præcise propter mutationem physicam, sed propter indecentiam, & moralem defectum, qui est in illo actu, & tamen totus ille defectus etiam secundo mendacio in hac mobilitate animi consistit, & ex ea oriretur etiam si absque mutatione physica contingeret.

Qualiter autem hæc imperfectio in Deo sequeretur ex illo volendi modo sic breviter explicandum est cum Patre Suarez; considerando enim Deum ut habentem in æternitate sua per simplicem intelligentiam omnia obiecta creata diligibilia præsentia secundum omnes gradus, modos ac rationes convenientiæ, quæ in eis excogitari possunt, necessarium fuit, divinam voluntatem non manere quasi suspensam in suis decretis liberis circa talia obiecta, sed in alterutram partem inclinari aut volendo definite illa esse, aut volendo ea non esse, aut ea non amare, vel non eligere; primo quidem quia probabile est in omni voluntate esse id necessarium, postquam de re amanda, vel non amanda, agenda, vel non agenda plenum consilium aut iudicium habitum est.

Deinde quidquid sit de aliis de divina voluntate videtur hoc certum, tum quia tam velle, quam nolle, & tam non esse, quam esse creatura est ex arbitrio Dei: debet ergo esse perfecte voluntarium; ergo directe per positivum actum, & non tantum indirecte per suspensionem actus, loquor autem de bonis obiectis quæ cadere possunt sub divinam voluntatem, applicandum autem est cum proportionem ad mala, quæ licet non sint volita, sed permixta, per actum tamen positivum permitti debent, quo Deus vult, vel illam non impedire, vel etiam ad entitatem illorum concurrere. Præterea quia illa totalis suspensio decreti liberi re vera est imperfectio, & à D. Thoma 1. *contra gent. cap. 82.* vocatur potentialitas quædam; duobus enim modis concipi potest illa suspensio, primo ut includat voluntatem definitam, nihil amplius in ea re ut sic proposita deliberandi, aut definiendi, & hæc non est suspensio, de qua agimus, sed est decretum liberum quod in Deo tam immutabile erit, sicut alia, & re vera est voluntas non agendi id, quod ita relinquatur.

Alio ergo modo intelligitur illa suspensio totalis; quia nec voluntas tunc alterutram partem eligit nec decernit, quid sibi postea eligendum sit, & huiusmodi animi suspensio sine dubio est magna imperfectio, & videtur præterea ex imperfectione intellectus oriri, qui nimirum non dum plene consideravit, aut iudicavit quidquid ad aliquid decernendum requiri potest; nam si omnia considerasset, & certus esset nihil amplius desiderari posse, non posset voluntas in ea suspensione manere.

Dices ex libertate sua id posse.

Respondeo non habere locum libertatis usum, nisi ubi sub ratione boni repræsentatur; in ea vero suspensione posito prædicto statu intellectus

nulla ratio boni apparere potest; & maxime in Deo, qui perfectissimo modo & summo cum iudicio, & ratione in omnibus se gerit. Unde interrogo rursus, an cum fingitur Deus suspendere deliberationem suam quasi in futurum, præciat, quid postea electurus sit, necne, nam si non præciat, illa est intellectu imperfectio, & in voluntatem non posset inducere anxietatem, & solitudinem de futura deliberatione. Si vero iam præciat ex æternitate futuram deliberationem suam, irrationalis, & impertinens est talis suspensio relinquatur: ergo necessario habere Deum æternum decretum in alterutram partem volendi, vel nolendi aliquomodo quodlibet obiectum sibi proportionatum, quæ necessitas non pendet ex eo, quod decretum liberum addat, vel non addat aliquid reale, sed absolute sequitur ex plenitudine scientiæ, & ex perfecto voluntario, & perfecto modo quo Deus in omnibus se gerit etiam si simplicissime, & sine vlla reali additione voluntatem suam voluntarie determinet.

Ex hoc vero principio sequitur tale decretum æternum non posse esse mutabile sine magna inconstancia, & imperfectione Dei volentis, quia duobus modis potest intelligi variari, quod decretum est à Deo; vno modo per propriam mutationem ipsius decreti, scilicet quia talis mutatio intelligitur esse circa idem obiectum, & secundum idem pro eodem tempore, &c. id est, quod prius decreverit Deus tali tempore Petrum creare v. g. & postea nolit pro eodem tempore creare illum & hæc est propria animi inconstancia, prudentiæ, & perfectæ virtutis repugnans, & ideo impossibile est in Deo reperiri; de quo propterea scriptum est, [Poenitudine non fluctetur, neque enim homo est, ut agat penitentiam]; idque confirmari potest ex nuper dictis, nam vel deus præciat, se mutaturum propositum, & illud prius nullum effectum habiturum, & sic levissimum esset habere tale propositum, imo vix posset esse efficax, vel non præcisisset hoc Deus, & sic supponitur magna imperfectio in scientia, & maneret Deus quasi dubius, & suspectus de sua constantia, & firmitate sui propositi, quæ est summa imperfectio, alio modo accidere potest varietas circa rem decretam, aut amaram à Deo, non secundum idem, aut pro eodem tempore, sed pro diversis temporibus; ut verbi gratia si Deus hodie diligit Petrum, cras non diligit, &c. hæc varietas non infert mutationem in deo; quia sine mutatione, vel inconstancia animi potest res vno tempore diligere, & non alio; maxime quando id sit sine vlla novitate ex parte amantis, qui simul utrumque decrevit, scilicet & pro tali tempore amare, & pro tali non amare & utrumque ex sufficienti causa, & ratione.

Ita vero se gerit Deus volens rerum varietatem sine vlla varietate in ipso, quia nec habet nova decreta, nec mutat antiqua, sed singula pro suis temporibus ex æternitate amat, disponit, ut permittit & in eo, quod semel proposuit, perpetuo durat: igitur ad rerum varietatem, & mutationem non est necessaria talis inconstancia in divina voluntate, neque esse posset sine magna imperfectione, & iuxta hunc discursum efficax manet illa ratio quæ probat, non posse esse talem mutationem in voluntate, nisi præsupposita aliqua imperfectione, & mutatione in scientia, & cognitione, quia ostensum est semper antecedere huiusmodi imperfectionem

Quaest. II. In quo consistat actus liber Dei. 397

ad omnem novam deliberationem, & praeterea quavis fortasse mutatio propositi imprudenter facta possit accidere sine augmento cognitionis, non tamen prudens; unde cum in Deo nec imprudens mutatio esse possit, nec augmentum cognitionis, ut prudenter fieret talis mutatio relinquatur nullo modo in Deo esse posse.

Alia tandem ratio reddi posset de indivisibilitate instantis, sed quia parvi momenti est opere praeiudicium duxi illam relinquere.

Ad ultimum argumentum concedo maiorem, & nego minorem; nam licet Deus ita amet, & possit non amare nihilominus tamen non potest absolute dici, quod actus liber Dei possit esse, & non esse absolute, & formaliter, solum enim dicimus, posse esse, & non esse aequivalenter; quia indifferens est deus ad amandum, & non amandum; quapropter cum ex vi libertatis habeat indifferentiam ad volendum, & nolendum &c. ideo actus volendi, & nolendi possunt esse & non esse aequivalenter; quae contingentia virtualis, aut aequivalentia non convenit Deo respectu Paternitatis, quia non est praedicatum liberum, sed omnino necessarium; quia constitutio Patris omnino necessaria est sine libertate, & indifferentia; unde non mirum quod neque virtualiter, neque formaliter possit definire esse Paternitas; & contra vero licet actus liber Dei non possit definire esse formaliter, quia est deus, potest nihilominus virtualiter definire, quia est liber, & ad libertatem requiritur contingentia in creatis formalis propter imperfectionem creaturæ; in Deo virtualis propter summam perfectionem divinitatis. Quapropter si fingatur in deo respectu Paternitatis suppositione impossibili, contingentia virtualis eo modo, quo concedimus eam in actu libero posse esse, & non esse aequivalenter sine vlla additione, & diminutione formali; & solum virtuali, in quo assimilaretur Paternitas actui libero; si autem concederetur contingentia formalis in Paternitate divina, in eo casu (qui maiorem impossibilitatem includit, quam prius, quia tum fingit paternitatem divinam esse liberam, cum ex se sit omnino necessaria tum tribueret illi contingentiam formalem ad essendum & non essendum formaliter, quæ maximam imperfectionem inuoluit, quam non includit contingentia virtualis) sine dubio concedenda essent additio, & diminutio formalis; sicut etiam concedi deberet in actu libero si haberet contingentiam formalem; sed quia in presenti non habet illam, sed potius loco illius contingentiam virtualem, aut aequivalentem contingentiae formali creatæ, ideo in Deo nulla datur additio, aut diminutio formaliter, sed solum aequivalenter, & sic concedimus nullo modo sufficere ad constitutionem Dei in esse amantis libere divinitatem præcise ut sic, sed potius esse necessariam additionem volitionis liberæ supra divinitatem virtualiter, & aequivalenter.

Ad confirmationem ultimam respondeo, verum esse quod quando non datur in Deo effectus, vel quasi effectus formalis alicuius formalitatis, necessario deficiat ratio formalis secundum exigentiam talis rationis formalis, quia nunquam datur ratio formalis in subiecto capaci quia constituit illud in tali esse quia autem constitutio Dei potest dupliciter esse, aut per formalitatem creatam uti est unio hypostatica, quæ constituit Verbum divinum in esse uniti, aut per formalitatem increatam qualis est actus liber, dupliciter potest deficere formalitas aut aequivalenter, aut

formaliter si sit increata formalitas solum aequivalenter; si autem sit creata formaliter, quia unumquodque prædicatum debet deficere secundum contingentiam propriam: ergo si actus liber Dei non habet contingentiam formalem, sed aequivalentem & unio hypostatica habet contingentiam formalem; hæc formaliter, illa aequivalenter desinet esse.

QVÆSTIO III.

Virum contingentia virtualis sufficiat ad actum liberum Dei?

SECTIO I.

Sententia adversaria ponitur.

PRIMA sententia docet, etiam si detur distinctio virtualis, & aequivalentiæ in Deo, ratione cuius verificantur prædicata contradictoria respectu intellectus, & voluntatis divinæ, nihilominus tamen in Deo nullam dari contingentiam virtualem, aut aequivalentiam, quia dicit imperfectionem respectu Dei, imo si daretur in Deo, non sufficere ait hæc sententia ad formalem libertatem, & indifferentiam Dei; ita P. Herize, tom. 1. in 1. præf. 2. disp. 16. de libertate volitionis divinæ, cap. 7. per totum; notissime P. Alarcon 1. p. disp. de divina voluntate, & alij hanc sententiam defendunt. Probat P. Herize sic suam opinionem, primo hæc admirabilis distinctio virtualis divina hoc habet singulare supra omnes creatas virtuales, quod ratione eius sunt veræ propositiones contradictoriae in divinis, non autem in creatis; imo in rigore contradictoriae non sunt ex defectu identitatis; cum namque dicimus, contradictorias esse eiusdem, atque de eodem intelligere debemus de eodem, hoc est in distinctio realiter, & virtualiter distinctione virtuali divina. Quo circa cum dicimus essentia à Patre communicatur Filio, Paternitas non communicatur; non sunt propositiones contradictoriae, ut dixi: ergo pari ratione cum ab his magistris applicatur hæc distinctio virtualis libertati, constitui debent rationes virtualiter distinctæ, in Deo tamen formaliter existentes, de quibus veræ sunt propositiones alias contradictoriae: ut exempli gratia si dicamus, principium volitionis liberæ non est contingens, volitio ipsa libera est contingens.

Probo hanc consequentiam, quoniam aliud est distinctionem realem existere virtualiter tantum in Deo, hoc est cum realis actualis non sit, eam virtute esse ratione munerum, quod exercet, aliud est formalitates reales illas, inter quæ interest distinctio virtualis, tantum esse virtualiter, & non esse formaliter. Apertum huius rei exemplum est in essentia divina, & Paternitate quæ actu & formaliter sunt, licet non actu, sed virtute distinctæ: ergo simili ratione si inter principium virtuale, & actum liberum est distinctio virtualis, duæ formalitates reales formaliter in Deo existentes dari debent, altera, quæ sit principium virtuale, altera quæ sit volitio libera formalis, quæ quidē tamen si virtute tantum distinguantur formaliter in Deo sunt. Probo hanc consequentiam; nam si in Deo